REGII HISPANIARVM PRINCIPIS

Auſpicatisſimus Ortus

REGALI FESTORVM IGNIVM PLAVSV

AB EXCELLENTISSIMO ORATORE REGIO

D. LVDOVICO PONCE DE LEON

ROMAE CELEBRATVS.

ELEGIA

CAROLI BOVII E SOCIETATE IESV.

DICTA

A MARCHIONE HIERONYMO PTOLOMÆO

IN AVLA MAX. COLLEGII ROM.



ROMAE, Typis Ignatij de Lazaris. M. DC. LXII.

SVPERIORVM PERMISSV.

EXCELLENTISSIMO PRINCIPI

D. LVDOVICO GVZMAN PONCE DE LEON

Catholici Regis apud Alexandrum VII. Pont. O. M. Oratori: Mediolani Gubernatori: Hiſpanorum militum pro Regij Corporis Cuſtodia Præfecto: Et aurea cubiculi Regij claue inſignito.

HIERONYMVS PTOLOMÆVS FELICITATEM.

GEMINVM Hiſpaniarum Principem, extinctum alterum peracerbè, alterum permaturè ſubortum, artificiatis ignibus, permixto terrori gaudio, vidi-

mus à Te, Excellentiſsime Princeps, confluentis, admirantisque Romæ plauſibus celebratum. Verùm quemadmodum alterius luctum funeris Principis exortus alterius hilarauit, ſic etiam ludentium ignium vis tàm denſa, tàm longa, cum parturiret horrorem, iucundo abortu peperit voluptatem. Nos Caſtaliam nunc Muſarum vndam in Regalium ignium ambitioſum obſequium deriuamus: clarisque Vulcani altero pede claudicantis applauſibus, tuo inſcriptam nomini, pari deſpondemus coniugio, altero claudicantem carmine Elegiam.

REGALIS FESTORVM IGNIVM PLAVSVS

IN ORTV FELICISSIMO

REGII HISPANIARVM PRINCIPIS.

ELEGIA.

HOC etiam licet Hiſpanis, de morte triumphum
  Ducere, & vltrici fata cremare face?
Ludimus? an ficta ſimulamus imagine verum,
  Romaque, quod Tellus egit Ibera, refert?
Torrida Phœnicis Libitina flagrauit in igne,
  Condidit & fatis ſylua peruſta rogum.
Arſit cum rutila radiatus Apollo quadriga,
  Et vitæ occiduum fax fuit vlta iubar.
Debuit at flamma rurſum nouus Ales ab illa,
  Cumque ſuis alius ſurgere Phœbus equis.
At ſurrecturo reduces cum Sole iugales,
  Suppoſitamque furens flamma cremauit Auem.
Nec vitium, caſuſue fuit; ſed, Iberia quantum
  Præſtitit, ars æquè nulla referre poteſt.
Hanc, Ludouice, tamen ſcenam te dante, Quirites
  Vidimus attonitos plauſibus ire tuis.
Nam facibus Puero feſtis dum plaudis Ibero,
  Artificique micat pompa diſerta rogo:
Phœnices Regum Reges ſunt, inquis, Iberi:
  Hinc Regalis habet Rex Iber omen Auis.
Nam ſimul emoritur, ſe ſeque reſeminat Ales,
  Finis & eſt idem, principiumque ſui.
Ipſe ſenectutem deponit ſpontè, ſibique
  Funus odorato conſtruit ipſe toro:

Et casiam, & nardum, myrrhamque, & cinnama ponit,
Et longæua super membra cremanda locat.
Incubat, & flammam quassis exsuscitat alis,
Et vitæ iacto semine funus obit.
Solis Auis tanto non inficianda Parenti,
Solque Auium solus, solus vt ipse Parens.
Prodiga cui centum pennis Natura colores
Miscuit, vt centum sola referret aues.
Nam croceo glaucum variare, heluoque virentem
Ambijt, & flauo spargere purpureum.
Et ferrugineum rutilo distinxit, & albo
Diluit obscurum, cæruleumque rubro.
Verticis at cristas radiato interlijt auro,
Scintillasque oculis Patris ab igne dedit.
Tum, velut Eois aliusque resurgit, & idem,
Qui se se occiduis Sol modò mersit aquis:
Æmula sic Patris Soboles à funere surgens
Peruicto Phœnix, idem, aliusque redit.
Ille quatersenis sed surgit, & occidit horis;
Secula consumunt hunc, renouantque decem.
Ales, io, membris rediuiue terentibus æuum;
Magne tui domitor funeris, Ales, io.
Nunc alios supra titulos hac laude superbi,
Inclyta quæ titulis omnibus vna præit.
Regis in auspicium fulsisti nuper Iberi,
Nulla tibi laus hoc celsior auspicio est:
Vnde sed hoc festos commentum venit in ignes,
Tradita Solis auis, Solque, nemusque rogo?
Si mihi Pieridum chorus adsit, & adsit Apollo,
Audiui ex ipsis quæ memorata, canam.
Fortè per vmbrosæ condensa cubilia syluæ
Vere nouo Genius rura petebat Iber.

Arboreumque videns populum, radice profundos
Qui manes, ſuperos vertice adibat agros:
Brachiaque ingentem numeroſa rotabat in orbem,
Et numero, & nodis brachia digna Gyge;
Talis, ait, tantuſque Orbis Regnator Iberi
Æterna populos ſub ditione regat.
Tollat & infixa radice cacumen in aſtra:
Adijciat vaſtis & noua Regna plagis.
Cætera rodentis nec damnum ſentiat æui,
Et modò feſſus humi, cum volet, aſtra petat.
Serò tamen feſſus telluris, in æthera, poſtquam
Longa fatigarit ſecula, cedat humo.
Sic, modò quem partu dedit Auſtrias Anna Philippo,
Felici ſatus hoc omine Proſper eat.
Principis & diſcant in nomine Fata vereri,
Proſpera ſub quo Fors militat, auſpicium.
Auſtriadûm Pietas ſic priſca meretur, & ardor
Prolata toto notus in Orbe Fide.
Regis enim quidquid ſceptris accedit Iberi,
Aetheris inuecta fit Pietate lucrum.
Si ſua Regna ergo per Ibera propagat Olympus,
Fas vbi regnare eſt æthera, regnet Iber.
Hæc Genius nemoris per frondea teſqua rogabat,
Nec ſolùm Heſperiæ fautor, at Orbis erat.
Orbis erat fautor, ſed qui fauet Orbis Olympo;
Namque idem Heſperiam iungit, & aſtra fauor.
Luſtra ſed intereà penetrarat in abdita ſyluæ,
Denſa viatori quà negat vmbra diem,
Hìc loricati ſurgebat robore trunci
Fortis, & enſiferis ardua Palma comis.
Ecce tibi excuſſa lucus reſplenduit vmbra,
Ceù cum luſtra petens vrget Apollo feras.

Neſcia principij, luce illa, & neſcia finis
Omnia quæ gignit tempora, Mater erat.
Sed, longæua licet, viridi, pulchraque iuuenta
Vincebat prolis ſquallida damna ſuæ.
Solis erant vultus, auri velut imbre fluentem
Cingebant lauro ſidera mixta comam.
Signa ſui læua prætenta gerebat, & anguis,
Ore ſibi caudam qui relegebat, erat.
Temporis agnouit Genius, coluitque Parentem,
Optatam votis lætus adeſſe ſuis.
Illa ſed immixta facilis grauitate profari
Incipit, hic auidos ebibit aure ſonos.
Hiſpano quæcumque petis pro Rege Tonantem,
Annuit hæc ſupera, dixit, ab arce Deus.
Dum populos capiet tellus, humanaque pergent
Ire per alternas ducta, reducta vices,
Regnorumque viris Numen permittet habenas,
Quique regent alios, quique regentur, erunt;
Sanguinis Auſtriaci current per Stemma, Nepotum
Non defectura ſceptra regenda manu.
His tereti nebunt felicia penſa Sorores
Pollice, quæ ſerò de tribus vna ſecet.
Nec, niſi cum ſoboles ſtabiliuerit orta Parentes,
Conſumpta ceſſent ducere penſa colo.
Tunc etiam, Proles cum plurima ludet in Aula,
Longæuumque ſuo cum Patre cernet Auum,
Stamina pergat Aui Clotho producere, vix &,
Quando, ſeca tandem, dixerit ille, ſecet.
Hoc eat eductus fato cognomine Proſper:
Numinis hæc, Lacheſis, tu data iuſſa cape.
Maturum hunc ardens niſi quando repoſcet Olympus,
Et ſpatioſa geret pectora plenus Auis,

Il-

Illius à penſo fatalem pollicis vnguem
    Abſtine, & intenta ſtamina volue manu.
Nunc refer hæc Aulæ ſolatia, Tutor, Iberæ;
    Quæ memor vt ſerues non dubitanda ſinu,
Frondea tolle tuos ſuper illa cacumina vultus,
    Solis ibi moritur, moxque reſurget Auis.
Iamque ſuis ceſsit flammis conſumpta volucris,
    Paruus & ex illa reſtat in igne cinis.
Vita ſed ecce redit, renouatosque imbuit artus
    Lætior in pennas fuſus, & ora vigor.
Quam pandit Phœnix rediuiuus in æthere pompam!
    Circum illum denſæ quot glomerantur aues!
Oraque ſuſpiciunt, admiranturque colores,
    Certat & obſequio quælibet ire prior.
Obuia non illam contra venit vlla volucris,
    At ſequitur venerans Ales & ipſe Iouis.
Penè ſuæ Genitor ſoboli Sol inuidet, illam
    Tam cupido, ſi non inuidet, ore videt.
Hæc audita memor, ſpectataque pectore ſerua:
    Auſtriadûm quæ ſint omina certa, tenes.
Dixerat, & tenuem ſpecies effluxit in auram:
    Supplice ſed Genius fundit ab ore preces.
Eſto quod, ò Genitrix longęua profaris, & omni
    Quę numero verbis conſonet, eſto fides.
Ne dubita, mihi fixa manent, ſemperque manebunt
    Audita hęc memori, viſaque tanta ſinu.
Hęc ait, & Zephyris, rapidisque citatior Euris
    Lętus ad Auguſtos rettulit ora lares.
Et dulci memorans hilarat ſermone Philippum,
    Gaudia nec Coniux parcius inde capit.
Aſt vbi flammato concepit corde, pioque
    Perſoluit grates Regius ore Parens,

Qua-

Qualia dat Cęlum, sic ducite pensa Sorores;
Implete & numero munera dantis, ait.
Indociles estis Regum si sceptra vereri,
Ius, in vos etiam iussa Tonantis habent.
Ille iubet Puero felicia pensa Philippo,
Et longa duci prospera pensa colo.
Vos iussi, memores, vtramque facessite partem:
Et longa, & fausta ducite pensa manu.
Audijt imperium trias importuna Sororum:
Audijt, ast cui ceù dedit antè Parens.
Maturum hunc, dixit, nisi quandò reposcet Olympus,
Et spatiosa geret pectora plenus Auis;
Illius à penso fatalem pollicis vnguem
Abstine, & intenta stamina volue manu.
Ergo vix quatuor fuso collegerat annos,
Decerptâ modicè tetrica Parca colo.
Seruabatque tuens oculo censore Puellum,
Maturusne Polo, plenus & esset Auis;
Cum puer ille nihil gereret puerile, referret
Longęuum patria sed grauitate Senem:
Austriacosque sua proferret ab indole Reges,
Moribus ac in se figeret astra pijs:
Tantus & in Puerum Cæli, tantusque Puelli
In Cælum contrà mutuus esset amor:
Parca sua vitę cedit quę forfice pensum,
Et Cęlo, & Puero gratificabor, ait.
Hic amat astra Puer, Puer & redamatur ab astris,
Et matura gerit pectora plenus Auis:
Ætheria ętherij patria iungantur amores.
Astra Puer, vitę iam seco fila, pete.
Indole sic tetrica, fuerant, quę dextera, fecit
Tristior interpres iussa sinistra Soror.

Ipse

Ipſe tamen moriens Cœlo ſe ſuſtulit Infans,
Quamque domum meriti voce petebat, habet.
Deſpicienſque ſuo celſus de culmine terras,
Quæque aditurus humi Regna Parentis erat;
Quàm breue, ait, tellus ſpectanti ex ęthere punctum eſt!
In puncto quid ſunt Regna tot ergo? nihil.
Tot ciet & lites nihil hoc, tot prelia punctum?
Votaque quod Regum non capit, arma capit?
Deſeruiſſe iuuat, qui cum tenet, impedit, Orbem:
Qui modicus, compes magna, futurus erat.
Fixaque cum ſtabili perſtet fundamine tellus,
Irrequieta tamen cuncta mouentur humo.
Mobile perpetua rapitur vertigine Cęlum,
Gaudia Cęlicolûm ſed fuga nulla rapit.
Et ſua tranquilla Superis dans munera Pace,
Non capit hoc Regnum prelia, vota capit.
Vota capit, vaſto velut amne, natantia: votis
Nam Polus eſt mare, queis guttula terra fuit.
Ambitio Regum non hoc putet eſſe beatum,
Flectere terrarum ſceptra, neceſſe putet.
Quòd ſi Regna mihi non flectere auita neceſſe,
Nec votum, Puero vix capiente, fuit.
Nobile ſeruitium mihi Cęlum depulit, & ſic
Impleto, dixit, nomine, Proſper eris.
Regali Superûm ſic libertate potitus
Ætheria liber Proſper ab arce canit.
Intereà Cęlum promiſſa repoſcit vterque,
Funeraque Infantis plorat acerba, Parens.
Parciùs & Genius non verberat aſtra querelis,
Tamque, gemit, Superis eſt quoque tuta fides?
Sic Regum Phœnix Phœnicis ſecula viuit,
Qui minor heù luſtro funera natus obit?

Plu-

Plura locuturo voces intercipit, ęui,
    Se referens vultu, quo tulit antè, Parens:
Hoc, ait, interpres peccauit lęua, meoſque
    Luſit in ancipites tetricâ Parca ſonos.
Maturum Cælo Puerum quia viderat, & iam
    Pectora conceptis plena gerebat Auis,
Viribus vſa ſuis & voce iubentis abuſa,
    Tam celer Infantis fila recidit anus.
Sed non, quem partu mox efferet Anna ſecundo,
    Hic etiam Parcę luſus, & error erit.
Neſtoris huic ducat, iubeo; Phœnicis & annos,
    Fauſtaque Sors longi Staminis inſtar eat.
Deſierat, lęuùmque tonans aſſenſit Olympus;
    Milleque, ceù teſtes, emicuere faces.
Didita Regalem crebreſcit fama per Aulam,
    Romamque Heſperio prępes ab Orbe ruit.
His Puerum Cæli auſpicijs veniſſe ſub auras,
    Tàmque Polum certis ſponſa dediſſe notis.
Audijt, & toto Ludouicus pectore, quantum
    Laxat amor ſpatium, gaudia tanta capit.
Sed nec tota capit, quamuis ſit pectore tantus;
    Sparſa ſed in populum largiùs inde fluunt.
Qua per tecta fluunt, qua per forà denſa procella!
    Quot rapiunt, quanto & gurgite Romulidas!
Fama theatralis pompę prior excijt Vrbem,
    Magnaque, dum ſtruitur, cernere, pompa fuit,
Nam, ſibi quod Genius luco memorabat Ibero
    Spectatum, Auſtriacæ Stirpis & omen erat,
Hoc argumentum Pueri Regalis in ortu
    Lætitiæ voluit Poncius eſſe ſuę.
Structile proin amplum nemus ędificatur in orbem,
    Pandit vbi Hiſpanum Martia Roma forum.

Hor-

Horrescit pulchrè, & placidè nemus asperat vmbra,
Et sua ceù saliens gaudia saltus habet.
Excitus è lustro Genium generosus Iberum
Spiranti flammas rettulit ore Leo.
Portè Parens æui trunco vitalis inhæsit
Palmæ, vultuque, & cyclade læta Parens.
In medio, quadriga, & equis radiantibus, auro
Facturus nocti fulsit Apollo diem.
Denique, lucus erat qua læuus parte tuenti,
Frondoso eminuit culmine Solis auis.
Spectabatque suum mox flagratura Parentem:
Igne suo Genitor nec cariturus erat.
Ast auidum dans calcar equis vbi mergere Iberis
Cœpit aquis prono Phœbus ab axe diem;
Nobilitas cum plebe ruit, Proceresque vehuntur,
Innuptæ, & Pueri, cum Socribusque Nurus.
Et Vaticani quos Regia Purpura vestit,
Quosque propè ambiti muricis ambit honos.
Turba forum fluctu premit vndabunda, viasque
Obruit, ac denso pondere tecta grauat.
Curribus ast alij spectant, alijque fenestris,
Pars melior domibus pegmata iuncta tenet.
Intereà noctem dum scena corusca moratur,
Scenamque intenti Plebsque, Patresque manent,
Tibia cum rauco streperos ciet ære sonores,
Fortiùs at multò classica pulsa sonant.
Plebs hilarata mero, fontis quod larga rubentis
Vena iacit, festum murmure tollit, io.
Iamque propinquabat maturior hora, diei
Furuaque sublapsæ nox relegebat iter.
Ordinibus longis, crebrisque accensa fenestris
Prima dedit scenæ candida cera iubar.

Exin-

Exinde artifices iaculari machina flammas
Incipit, & pulchros flamma ciere metus.
Grata oculis eadem fuit, & metuenda voluptas,
Immò voluptatis pars metus ipse fuit.
Vsque adeò mores mutans natura vetustos
Paret, & Hispano monstra iubente parit.
Ignea cum tanto se turbine tollit arundo,
Cęrulaque accensas spargit in astra comas.
Iamque putes iu tecta Poli radiata Gigantes
Anguineos flammis arma referre Ioui.
Multiplicique tonans mugitu machina, crebros
Fulgores inter, iactat in astra minas.
Iamque fragor calamis crepat hic morientibus; ille
Ruptus vt ex ollis, hic vt ab ære sonat.
Tunc Ætnam credas, laxataque Tartara in auras
Excitis flammas mittere cum furijs.
Sibila pars etenim calamorum multa, relicto
Puluereæ lucis sidera calle petit.
Sublimique cadens fato per cærula densus
Sulphureas animas proijcit arua globus.
Ast alij Cælum postquam petiere, reflexo
In terris obeunt funera crine tubi.
Puluere sed pyrico quas huc sinuosa papyrus,
Atque illuc, fatuo ceù furat igne, iacit,
Igniferas adeò volucres, colubrosque volantes,
Ludentisque putes fulmina parua Iouis,
Agmina per populi non euasura ruentes
Bella tulere suâ ludicra morte faces.
At modò quæ furijs simulabat Tartara, Cælum
Nunc velut astriferum machina luce refert.
Protinus accensis pulchro sic ordine flammis
Plusquam auro, & gemmis fulgida serta gerit.

In-

Inter quæ rapidis creberrimus orbibus ignis
Longo ſe circum ſulphure paſtus agit.
Tunc vitrea moles candens quoque grandine, largas
Ignito veluti ſacchare fundit opes.
Seù fuit aſtrorum radioſa procella, ſereno
Non magis hoc ſtellans imbre coruſcat ager.
Quæ ſimul vndantem lux diſijcit aëre fumum,
Et ſcenæ rurſum nobilis ora refert.
Intereà cum Sole flagrant ardente iugales,
Conflagrat & flammis debita Solis auis.
Iugibus at vires dum flamma furoribus auget,
Sæuit & ingenio viribus aucta ſuo,
Impermiſſa vorans ſimul, ac permiſſa rebellat,
Et molem populo penè timenda cremat.
Paſſa nec eſt Solem, Solisque redire quadrigam,
Cum Sole, & Solis ſurgere rurſus auem;
Er prior Artificis mens hæc, finisque laboris,
Vrbis & hoc potior cernere cura fuit.
Excidit his Opifex, at magnis excidit auſis,
Nec Phaëtonte minus ſic cecidiſſe fuit.
Nam, patrij vt currus Puer ille popoſcit habenas,
Non Pueri ſorti, non hominisque datum,
Viribus hinc impar, & tantæ neſcius artis
Pulſus in Eridani præcipitauit aquas;
Non aliter, munus dum non mortale Tonantis
Fingere mortali nititur arte labor,
Irritus Artificis votum fruſtrauit, & orſus
Reppulit audaces mole flagrante rogus.
Auſtriadis etenim cum ſceptra perennia Numen
Non defectura Stirpe regenda dedit:
Temporis & Genitrix rediuiuæ fata volucris
Muneris auſpicium protulit, atque fidem,

Non

Non mortale fuit, nec quod Natura caduco
　　Largiri cuiquam robore freta queat.
Regna ferunt anni, pereunt quoque Regna per annos;
　　Sorsque per alternas flatque, reflatque vices.
Æterno potuit Sortem quæ figere clauo,
　　Dextera Natura fortior illa fuit.
Vrere Solis Auem potuit proin arte, sed arte
　　Ingenium nequijt reddere Solis auem.
Ætheris hoc fuit ostentum haud imitabile terris;
　　Omen & ex vsta sic quoque creuit Aue.
Vidimus artifices iussu prius artis in horam
　　Ludere sic longam Martis in Vrbe faces.
Legibus excussis at mox, frænisque, rebellis
　　Vndique cum vetitas flamma cremaret opes,
Absoluis culpam, si qua est, veniamque furenti,
　　Iussusque, vt pergat, das, Ludouice, rogo.
Scilicet Hesperio feruens pro Rege, vel ipsas
　　Vincere bacchantes scit tua flamma faces.
Artifici Troiam flagrantem viderat igne
　　Nuper Agonali Romula turba foro.
Illaque tunc etiam Regali pompa Puello
　　Plauserat impensis condita nempe tuis.
Mox cum tigna simul, tabulæque arsere, trabesque,
　　Troia iterum Hispano visa flagrare foro est.
Euge: tui interpres generosi casus amoris,
　　Si benè rem Vates auguror, ille fuit.
Ars dare cum vellet Scenam Spectantibus vnam,
　　Splendidiùs dederunt casus, amorque duas.

FINIS.